






*Pr. St. num. 13.*

**GOTTFRIDI MASCOVII, D.  
DE 1738/11  
R A T I O N I B U S  
D E C I D E N D I,  
QUAE  
SENTENTIIS ET RESPONSIS JURIS  
SUBMITTI SOLENT,  
P R O L U S I O ,  
PRAEMISSA DISPUTATIONIBUS PUBLICIS  
A D  
ILLUSTRIS BÖHMERI  
DOCTRINAM ACTIONUM.**



G O T T I N G A E ,  
TYPIS ABRAHAMI VAN DEN HOECK, ACAD. TYPOGR.

COTTERIDI MASCALI D.  
RATIOMINUS  
DECIDENDI  
SATURNI ET HERCULIS HIRIA  
TROUSIO  
DOCTRINAM ACTIOMINUM



**Q**uanquam valent Jurisconsultorum Responsa etiam si ratio non redditur, plerumque tamen & peti & reddi Rationes Decidendi solent. De quibus hoc loco agere forsitan non ineptum erit, cum rationes Decidendi etiam naturae & indoli Actionum respondere debeant. Agam autem breviter, & idcirco ab initio statim hos mihi fines terminosque confituum, ut primo ostendam, unde duci debeant Rationes Decidendi, deinde doceam, quae sint earum virtutes. Solent vero Rationes Decidendi in duas partes dividi, quarum altera Rationes Dubitandi, altera Rationes Decidendi *stricte* sic dictas complectitur. Utraeque partim ex *Facto* petuntur, partim ex *Jure*.

*Facti* circumstantias diligenti Actorum lectione discimus, in qua interdum calamo non est parendum, si prolixiora sunt scripta, in quibus cardo caussae vertitur. Sigillatim *Dubitandi* Rationes facti praeципue petimus in Civilibus quidem ex Reprobatione & Contra-Demonstratione; *Decidendi* ex Probatione vel Demonstratione, sive eae stent per rotulos testium, sive per ocularem inspectionem, sive per documenta, sive per aestimationem artis peritorum. In Criminalibus, quantum ad Rationes *Dubitandi* attinet, Defensionem Rei & testimoniis Rotulos, in Rationibus contra *Decidendi* Denunciationem Rei & eorundem testimoniis fidem sequimur.

Finge, Judaeus secundum jus commune experie-  
A 2 ba-

batur ex libro mercatorio , actione *Quod iussu*, causfans, se patris iussu filio deditis Centum, volebatque admitti ad Juramentum Suppletorium. Premebat autem librum ejus mercatorium Iuspicio fraudis, qua Judaeus mutatae scripturae convictus erat: quare ex facto petita erat, cum ratio Dubitandi, qua Jure communi ad Suppletorium admittitur mercator, qui debitum, quod a nostro factum fuerat, libro mercatorio intulit, tum Ratio Decidendi, qua, propter fraudem Judaei, filium potius Rei, hominis Christiani, XX. jam annos natum ad Purgatorium admisimus, Judaeum contra a Suppletorio repulimus.

In Rationibus autem Facti quotidie falluntur, qui negotia Civium non habent perspecta, et si Juris rationes sic satis edocti sint. Quare jam veteres Jureconsulti, quotquot Forensis Jurisprudentiae laude florebant, non tantum de Mancipatione, de Acceptilatione , aut Testamenti-factione , sed etiam de agro colendo, de familia collocanda, de praedio conducendo respondere solebant. E contrario etiam sine literis Ratio valet Naturalis, si quis cognitam habeat indolem rei, de qua quaeritur. Mercatores certe in caussis Cambialibus saepe ad alios mercatores decurrere malunt, quam ad Jureconsultos: & milites quoque saepe Jureconsultorum refugiunt sententiam, non tantum propter bellum internecinum, quod iis est & semper fuit cum gente Latina, sed etiam propter imperitiam moris militaris, cuius eos vulgo accusare solent. Agrimensurae quoque, & rei fabrilis, & opificariae aliquantulum peritus fit, oportet, qui in Facto aberrare nolit, cum &

& haec hominum negotia multas habeant latebras multosque recessus.

Practerea ex JURE quoque non tantum Rationes Decidendi, sed etiam *Dubitandi* ducuntur. Fit id non tantum quoties iudex a dispositione legis recedit, aut impensas compensat, sed etiam alias, si dubia & anceps Juris videatur dispositio. Quod in Jure Communi frequens esse, noverunt, quibus tot Juris Controversi Scriptores non sunt incogniti. Ex immenso numero auditoribus nostris ARNOLDI VINNII *Quæstiones Selectæ* propter nitorem & argumentorum gravitatem; tum SAMUELIS de COCCEJI *Jus controversum* propter ubertatem & plerumque adductum Fori Germanici usum commendare solemus.

Interdum autem etiam ex legum arguento rationcinantur, qui Rationes Decidendi scribunt, quo casu danda est opera, ut id, a quo colligimus, simile sit ei, ad quod concludimus. Sic fallere nequit collectio, ducta a ratione succedendi, qua Jure Pandectarum & Institutionum utimur, ad Feuda Regularia, quia & successionum veteris Juris eademi est ratio quae successionum Juris Feudalis, & proinde, quod in Jure Civili non valet directo, in Jure Feudali valet utiliter. E contrario si de operis uxorum quaeratur, non amplius procedet argumentatio petita ab operis libertorum, qua eae in officiales & fabriles distinguuntur, et si libertis in Jure Pandectarum similes sunt liberi, liberis uxor. Postremum enim Juris obsoleti esse coepit, posteaquam in manu mariti esse mulieres desierunt, adeoque non est Juris novissimi.

A 3 Duxi

Dixi, unde duci debeant Rationes Decidendi; deinceps differam de virtutibus earundem. Prima earum virtus esto **PERSPICUITAS**. Debet enim Actorum omnium summa uno veluti obtentu pandi, eoque judici Ulterioris Instantiae labor minui in expendendis Actis Instantiae Prioris. Eadem perspicuitas has Rationes Decidendi commendabit *paribus*, quippe ex quibus saepe intelligere poterunt, utrum cedere an contendere debeant. Quodsi plura sint capita sententiae vel responsi, juvabit ea numeris distingui, ut Confusio evitetur: ita, ut in deducendis Rationibus eundem ordinem sequamur, quo in sententia usi simus. Secunda virtus esto *Nitor* & elegantia sermonis. Solent autem rationes decidendi lingua vernacula conscribi, cuius studio, ut in plerisque Germaniae Academiis, sic apud nos certa sodalitia fervescere videmus, quorum quis praecpta si sequi velit, deletabimur; si minus, non aegre feremus, etiam si vox interdum peregina immisceatur, modo ea ab usu Jurisconsultorum non sit remota.

Tertia rationum decidendi virtus esto *Certitudo*, Quare, quae vocant *Citata*, seu Allegata Juris Rationi Dubitandi aut Decidendi qua utimur, specialissime debent respondere, fertque mos judiciorum nostrorum, ut praecipue leges & argumenta earum citanda sint, et si illustrandi causa etiam Doctores eximiae famiae adduci possint. Manat inde sua sponte, vitandas esse Rationes Generales: tum quoque opiniones Doctorum singulares adeoque dubias, perinde, ut rationes perplexas, vel conditionem supponentes impossibilem. **QUARTA** virtus esto **BREVITAS**, neque enim necesse est,

est, ut, quae Juris certi & indubitati sunt, nimia & misera diligentia comprobentur. Possunt autem singulis sententiae capitibus etiam plures subjici Rationes: quid si singulae tantum subjectae sint? Videbitur vis unita fortior, imprimis si ratio rerum & verborum pondere commendetur. Quodsi tamen duae aut plures suppetant aequae idoneae, omnes servabimus, cum duo vincula fortius ligent, quam unum.

Petuntur caeterum Rationes Decidendi saepissime ex legibus Processus, qui proinde nobis non minus cognitus esse debet, quam Jus ipsum, quod ideo in primis addiscimus, ut negotiis civium in foro applicetur. Jam quae esse soleant fata caussarum per singulas Actiones diligenter docuit Vir Illustris, JUSTUS HENNINGIUS BÖHMERUS in *Doctrina de Actionibus*, quas acri magnoque judicio ab origine caussisque primis repetit, discernit, expendit. Quia doctrina ut penitus imbuantur Viri Juvenes Gente ac Mente florentissimi,

MARTINUS HEINRICUS SCHRADER, HILDESIENSIS.  
 FRANCISCUS JACOBUS SÜSTERMAN, HILDESIENSIS.  
 FRIDERICUS GUNTHERUS HOFMEISTER, HILDESIENSIS.  
 GEORGII FRIDERICUS BRANDES, CELLENSIS.  
 CONRADUS FRIDERICUS GOTTLIEB KOENIG, WILCKENBURGO-HANNOVERANUS.  
 Jo. CONR. HAHNE, AMELINGHUSA-LUNEBURGICUS.  
 GABRIEL CONRADUS FRIDERICUS SCHRAMM, HANNOVERANUS.  
 GEORG. HENR. JUSTI, ALSTADIO-THURINGICUS.

Jo-

JOANN DANIEL SCHUBERT, GLÜCKSBRUNNA-MEINUNGENSIS.

ANTON GOTTHARD JULIUS MULLER, MEINVNGA-FRANCUS.

visum iis est, hac aestate, tum quoque hieme proxima, Disputationibus publicis, ad singulos Saturni dies expendere partem Operis: quorum numero si qui deinceps alii accenseri voluerint, rem hi nobis gratam acceptamque fecisse videbuntur. Dabam Gottingae, die 23. Junii, 1738.







**ULB Halle**  
004 527 240

3




*Sb*





B.I.G.



Pra. Et. num. 13.

GOTTFRIDI MASCOVII, D.

DE

1738/11

AB

R A T I O N I B U S  
D E C I D E N D I,

Q U A E

S E N T E N T I I S E T R E S P O N S I S J U R I S

S U B M I T T I S O L E N T ,  
P R O L U S I O ,

P R A E M I S S A D I S P U T A T I O N I B U S P U B L I C I S

A D

I L L U S T R I S B Ö H M E R I  
D O C T R I N A M A C T I O N U M .



G O T T I N G A E ,

T Y P I S A B R A H A M I V A N D E N H O E C K , A C A D . T Y P O G R .

